

Franckesche Stiftungen zu Halle

Pavli Manvtii Commentariivs In M. Tvllii Ciceronis Epistolas Ad Diversos

Accedvnt Eivsdem Scholia Et Hieronymi Ragazonii In Easdem Ciceronis
Epistolas Commentariivs

Manuzio, Paolo

Lipsiae, A.C. MDCCLXXIX

VD18 90852230

Epistolae XVII.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:5:1-219543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:5:1-219543)

mum, deinde constantia nominata est, ut etiam lib. 2. epist. 6.

Seruiendum] Quid est, *seruire constantiae*? exsequi ea, quae constantia postulat, nihil contra committere.

Quod allatura est ipsa diuturnitas] Eandem sententiam Sulpicius in ipso Cicerone consolando usurpauit, lib. 4. epist. 5. Nullus, inquit, dolor est, quem non longinquitas temporis minuat ac molliat. Hoc te expectare tempus, tibi turpe est, ac non ei rei sapientia tua te occurrere. Et Cicero lib. 7. epist. 28. et lib. 12. ad Attic. epist. 11. Quod autem hic diuturnitas, paullo post, et lib. 7. epist. 28. dixit, dies: Sulpicius autem, longinquitas temporis.

Praecipere ERN. *Praeripere*] Paulo post, anteferre et repraesentare. lib. 10. ad Attic. epist. 1. Non praeripiam, sed expectabo consilium.

Consilio prudentiaque] Paulo post, ratione.

Mulier] Vim diuturnitatis exemplo mulierum ostendit, quas ra-

tio non consolatur. quod si mulierem luctum dies minuit; multo magis minuet in viris, qui consilio prudentiaque praestant. quod igitur futurum est, cur non ratio repraesentet?

Repraesentare] Repraesentat is, qui, quod aliquanto post facturus est, statim facit.

Beneuolentissimi atque amicissimi] Etsi beneuolentia pro amore sumitur; quia nemo fere cuiquam, nisi quem amet, bene velle beneque cupere videtur: proprie tamen beneuolus ab amico, et beneuolentia ab amicitia differt. quod hic locus ostendit, et ille lib. 1. de Fin. c. 10. Quos tu paullo antecum memoriter, tum etiam erga nos amice et beneuole collegisti. Et in oratione pro Oppio, cuius testimonio utitur lib. 9. c. 2. Quinctilianus: O amorem mirum! o beneuolentiam singularem! Ad Appium lib. 3. epist. 9. maior amoris vis, quam beneuolentiae, demonstratur. Nihil est, inquit, quod studio, et beneuolentia, vel amore potius, effici non possit.

EPISTOLAE XVII.

ARGUMENTVM.

Excusat tarditatem litterarum suarum: hortatur Sextium, ut exsulii casum sapienter fortiterque ferat. idque ut ei persuadeat, et ut afflictum consoletur, argumenta sumit a communi omnium hominum conditione, ab ipsius Sexti virtute, ab exemplis, a statu reipublicae, a Sextii filio, a iudicio amicorum, ab ipsius conscientia. postremo, quod ipsum ad moerorem minuendum pertinet, sua studia et officia vel ad consolandum, vel ad leuandum eius fortunam pollicetur omnia. Moraliter est, scripta, ut opinor, Caesare et Lepido coss. A.V.C. DCCVI.

EXPLANATIO.

P. SEXTIO P. F.] Vix opinor, ac plane non opinor, hunc

esse P. Sextium, pro quo exstat Ciceronis oratio, qui C. Antonii primum

mum consulis, deinde Macedoniae proconsulis quaestor fuit. cur ita existimem, occurrunt haec: primum, fuisse illum, quem Cicero defendit, Lucii filium, non Publii, vt indicat inscriptio lib. 5. epist. 6. neque in eo libri veteres a recentioribus vulgatis dissentiunt. nec dubito, quin Tiro, qui patroni sui Ciceronis epistolas in volumina retulit, vtrique Sextio in litterarum inscriptione praenomen patris, vt internoscerentur, addiderit, quoniam vtrique praenomen et nomen idem esset. Altera causa est: quod ille P. Sextius L. F. Romae fuit vsque ad initium belli ciuile, et inter eos, qui cum imperio essent, nominatur: vt patet lib. 7. ad Attic. epist. 17. et lib. 8. ad eundem epist. 15. et hic Publii filius ante ciuile bellum videtur abfuisse. cum enim ait Cicero, nullas ideo se litteras ad eum misisse, quia priora tempora in ruinis reipublicae, iacuerint, quis non eo coniiciat, Sextium ante ruinas reipublicae, id est, ante ciuile bellum, abfuisse? Tertio loco illud pono. Hic Sextius P. F. quo tempore hanc Cicero epistolam scripsit, exfulabat, iudicio damnatus: quod ex iis verbis intelligo: *Posteriora autem me a scribendo tuis iniustissimis atque acerbissimis incommotis retardarunt.* et infra semel et iterum illius iudicii fit mentio. haec autem epistola, cum illa verba intueor, *proxime, recenti aduentu meo;* scripta mihi videtur paullo post Alexandrinum bellum, quo tempore Cicero, qui Brundisii diu iacuerat, concessu Caesaris in urbem rediit. At ille Sextius L. F. quem Cicero ante ciuile bellum luculentae, quae exstat, oratione defendit,

non modo non statim post Alexandrinum bellum, sed etiam post de victos in Hispania Pompeii liberos lege Pompeia causam dixit. testem habeo lib. 13. ad Attic. epist. 49. Appianus quidem Sextium quendam lege Pompeia de ambitu ante belli ciuile tempora damnatum, auctor est lib. 2. de bell. ciu. Sed is omnino esse non potuit, neque hic P. Sextius P. F. quem diximus post Alexandrinum bellum esse damnatum; neque ille L. F. qui paucis ante Caesaris necem mensibus lege Pompeia est accusatus. Aut igitur est alius P. Sextius, praeter hos duos: aut Appianus errore temporum, quo peccat saepe, lapsus est, quippe qui in eo ipso loco damnatos eodem, quo Sextium, tempore absentes Milonem et Gabinium dixerit. in quo dupliciter peccat, primum, quia neque Milo neque Gabinus absentes, verum praesentes damnati sunt; deinde, quod Gabinus non Pompeio tertium consule, vt ille ait, sed anno superiore, Calvino et Messalla cons. damnatus est: quod cognoscitur ex Dionis historia lib. 39. de Milone autem praesente, ex oratione pro illo habita et Pediano interprete. Concludamus igitur, aut duos esse P. Sextios, aut in huius epistolae titulo mendum esse, et P. SISTIO, fortasse legendum, vt est in antiquo Maffei libro: aut P. SITIO, cum in alio item antiquo libro, P. Sitti, legatur, vbi est in impressis, P. Sextii, quod alii quoque viderunt: sed, quia hunc esse P. Sextium, pro quo exstat oratio, sibi iam persuaserant, ideo mendosum esse veterem librum existimarunt.

In ruinis reipublicae nostrisque]
Cum et respublica ciuili bello, et
simul

simul bonorum ciuium auctoritas concidisset. priora enim vocat tempora, quae statim ciuile bellum consecuta sunt.

Iacuerunt] Id est, ego iacui per illa tempora, moerore scilicet afficius.

Posteriora] Accessit post ea, ne scriberem, altera causa, quod abhorrebat animus a scribendo, cum incommoda tua cogitarem iniustissima atque acerbissima.

Iniustissimis] Quia damnatus erat iniuste: ideo subiungit illa: cum eo tempore inuidia annonae, inimici non solum tui, verum etiam amicorum tuorum, iniquitas totius iudicii, multaque alia reipublicae vitia plus, quam causa ipsa veritasque, valuissent.

Acerbissimis] Quid enim acerbius, quam carere patria, liberis, propinquis, amicis, praesertim eum, qui non suo delicto, sed iudicum exsulet iniuria.

Incommodis] Exsilio, in quo multa perferuntur incommoda.

Tuam virtutem] Etsi virtus a viro dici putatur; tamen etiam adulescentes a virtute laudantur: itaque infra Sextii filii virtus quater nominatur.

Ego te] Saepe narrationem orditur ab hoc pronomine, vt lib. I. epist. 9. *Ego me, Lentule, initio rerum atque actionum tuarum.* Et iterum, paullo post: *Ego, si ab improbis et perditis ciuibus reipublicam teneri viderem.* Et tertio, aliquanto post: *Ego, cum mihi cum illa magna iam gratia esset.* Sic lib. 5. epist. 6. *Ego, tua gratulatione commotus.* Et lib. 10. epist. 3. *Ego, Plance, necessitudinem constitutam habui cum domo vestra ante aliquanto, quam tu na-*

tus esses. et lib. I. ad Attic. epist. 16. *Ego enim, quam diu sentus auctoritas mihi defendenda fuit.* Quae sunt omnia narrationum initia.

Primis temporibus illis] Patet verborum sententia, sed ignota historia. Hoc alii opinati sunt ad Sextium, pro quo exstat oratio, pertinere, et significari tempus illud, quo C. Antonius, Macedonia male administrata, in iudicium vocatus est: quod eius quaestor Sextius, quasi criminum conficius et particeps, accusatus sit. ego iam satis videor probasse, alium hunc esse P. Sextium. praeterea, quod omnino leue non est; quamquam non hac vna ratione nititur opinio nostra; nulla plane cuiusquam criminis aut inuidiae in Sextium concitatae mentio sit lib. 5. epist. 6. cum Antonii tamen accusatio nominetur.

Inuidiam] Inuidiam pro infamia saepe usurpat Cicero: de quo diximus in lib. I. epist. I.

Cum in tui familiarissimi iudicio ac periculo tuum [crimen] ERN. *nomen coniungeretur*] Video existimari posse, causam de vi nunc significari, in qua Cicero Sextium reum ornatissima, quae exstat, oratione defendit nam et Milo, Sextii familiaris, eodem tempore de vi reus fuit, quo spectare aliquis putauerit illa verba, quae sunt in orat. pro Sextio c. 42. *Quomodo hoc in genere praesidii comparati accusas Sextium, cum idem laudes Milonem?* Et in Vatinius c. 17. *Quaero, cum in republica administranda T. Annio cum P. Sextio consiliorum omnium societas fuerit, (id quod non solum bonorum, verum etiam improborum iudicio declaratum est:*
est

est enim reus uterque ob eandem causam, et eodem crimine) -- quaero, qui possis eos, quos crimine coniungis, testimonio disiungere? Hinc oriri coniectura potest, hunc esse P. Sextium, pro quo legitur oratio. maneo tamen in sententia de Sextiis duobus: et hunc statuo non esse illum, cui Cicero de se in tribunatu plebis optime merito, de vi postea in iudicium adducto, gratiam cumulate retulit patrocínio suo. Nam illud minus me mouet: cum in tui familiarissimi iudicio ac periculo tuum nomen coniungeretur, non enim ideo Sextium Cicero defendit, quod eius nomen in eius familiarissimi iudicio ac periculo coniungeretur; sed quod suo proprio crimine, proprio etiam accusatore Albinouano, (nam Milonem P. Clodius aedilis accusauit) in iudicium vocaretur. itaque, cum iudicium Milonis, accusante ad populum Clodio, partium impetu et contentione disturbatum esse Cicero lib. 2. ad Q. Fr. epist. 3. scripsisset: subiunxit haec, quasi de alia re: A. d. 14. Id. Sextius ab indice Cn. Nerio Pupinia, de ambitu est postulatus: et eodem die a quodam M. Tullio de vi. et, quamquam uterque de vi, non tamen ad eosdem iudices, nec ab iisdem accusati sunt, sed Milo ad populum, ut in epist. 3. ad Q. Fr. Sextius autem ad praetorem, et iudices ab ipso praetore delectos; et ille, ut dixi, accusante Clodio, hic M. Tullio Albinouano. Alii, tuum crimen, non tuum nomen. utrumque recte.

Proxime, recenti aduentu meo] Post Pharsalicam pugnam Cicero, spe veniae ductus, in Italiam rediit; ad urbem tamen, non nisi confecto Alexandrino bello, venia

iam impetrata, se contulit. ostendunt hoc epistolae lib. 11. ad Attic.

Rem aliter institutam] Rationem Sextii defendendi, absentis, ut opinor: nam, si Cicero eum Romae vidisset, non attulisset perpetuam tam longi temporis excusationem: quod fecit initio epistolae: ex quo liquet, Sextium non modo post damnationem, sed etiam aliquanto ante ab urbe abfuisse.

Inuidia annonae, inimici non solum tui] Cum ei propter annonam, quod frumentum fortasse in aedilitate vili pretio vendidisset, non modo eius inimicus, verum amici etiam inuiderent. Non est inusitatum Ciceroni duobus uti generandi casibus, ut in lib. de Senect. c. 14. *Quid de P. Licinii Crassi et pontifici, et ciuili iuris studio loquar?* Et lib. 2. de Nat. deor. c. 58. *In iis artibus, quarum iudicium est oculorum.* Et Phil. 14. c. 2. *Cuius imbecillitatem valetudinis, animi virtus, et spes victoriae confirmauit.*

Valuissent] Quia damnatus est.

Publio tuo] Filio.

Hortarer rogaremque] Hortationi saepe adduntur preces. vide epistolam sequentem, et primam lib. 1.

Hominem te et virum] Ab homine sapientiam, a viro fortitudinem postulat. est enim $\mu\phi\sigma\epsilon\iota\varsigma$ in virum: ut in epistola sequenti: *te colligas, virumque praebeas.* et Phil. 2. c. 37. *Ille vir fuit: vos quidem contemnendi.* Et lib. 10. ad Attic. epist. 7. *Si vir esse uolet, praeclara conuoluit.* et in Bruto c. 71. *Vidi Mithylenis nuper virum, atque vidi plane virum.*

Com.

Communem] Non quod omnes damnentur iniustis iudiciis, sed quod quilibet damnari possit, praefertim ubi concurrant haec, invidia multorum, iniquitas iudicii, reipublicae vitia. ideo sequitur: *quem neque vitare quisquam nostrum potest*.

Incertumque] Vt communis est casus, quia cuius potest incidere: sic incertus, quia, ne sibi incidat, praestare et efficere nemo potest. quae enim sequuntur verba, *vitare*, et *praestare*, illud ad communem casum, hoc refertur ad incertum.

Dolori] Ex iniusta calamitate suscepto.

Fortunae] Addidit, *fortunae*, vt eum culpa liberaret.

Ceteris] Athenis maxime: qua in ciuitate, qui praeter ceteros virtute et rerum gestarum gloria florent, in exsulum nullo crimine mittebantur. Sic Miltiades, Themistocles, Aristides, Cimon pulsi sunt. exaequari enim omnes, nec eminere quemquam, vtile visum est in libera ciuitate.

Fortissimis atque optimis] Non dubito, quin de fortissimo viro Themistocle, atque aliis nonnullis rei bellicae fama clarissimis, de optimo autem Aristide cogitarit, quem ob insignem iustitiam ostracismo eiectionem esse, Plutarchus et Aemilius Probus narrant.

Ea te republica carere] Eadem ratio in duabus epistolis, quarta et sexta lib. 6.

Dedisse ERN. *Cepisse*] Etsi, *testimonium accipere*, dixit Cicero lib. 2. in Ver. c. 5. tamen hic ma-

lim, *dedisse*: quod verbum eo magis placet, quia congruit optimae cum eo, quod dictum est, *debitum eius virtuti*. et *dare testimonium*, frequens loquendi modus apud Ciceronem, vt lib. 13. epist. 16. *Testimonium mei de eo iudicii ei libenter dedi*. Et lib. 3. de Leg. c. 1. *Tam praeclarum mihi dedisti iudicii tui testimonium*. Et alibi.

Virtuti] Ad probitatem atque animi praestantiam, non ad doctrinam refero: et paullo post; *pietatem, virtutem, industriam*.

Refricem] Huiusce nominis vim in prima ad Lentulum epistola iam ostendi.

Industriam] Non enim se, vt multi adolefcentes, languori et ignaviae deditit.

Tuam esse, tecum esse duces] Nam, si doles, quod tali filio careas: minus dolebis, si illius virtutem, vbiicumque erit, tuam esse, tecum esse duces.

Animi tui conscientiae ERN. *conscientia*] Hoc et satis per se patet, et explanatur sequentibus verbis. interdum tamen venit in mentem de mendo suspicari, cum in omnibus antiquis libris, quibus quidem nunc vtor, scriptum videam, *amicæ tuæ conscientiae*.

Iniuria] Non iure damnatum Sextium, dixit iam in eo loco, *invidia annonae*: et in eo, *multis fortissimis atque optimis viris, iniustis iudiciis, tales casus incidisse*.

Ego] Promittendi officii locus, quo maxime solamur afflictos, extremæ fere datur epistolæ. exstat exemplum in his tribus consolatoriis, superiore, et hac, et sequenti.